DE COMPARATIONIS QUAE DICUNTUR IN GRAECA ET LATINA LINGUA PARTICULIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXIV. M. NOVEMBRIS A. MDCCCLXVI.
H. XI
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

MICHAEL HOLZMAN
POSNANIENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
H. LEWANDOWSKI, MED. DR.
A. VOIGT, PHIL. CAND.

HALIS SAXONIAE
MDCCCLXVI.

Quaecunque res movet hominis sensus, in mentem (Bewusstsein) non intrat nisi relata ad ullum aliquem animi motum (Seelenregung). Referri vero potest variis modis prout menti seu tota seu ex aliqua parte nova est aut nota, prout ad quem refertur motus iam exstat in mente aut illa re expergefactus vocatur iu mentem, prout motus praesens vocatusve per se est unus aut motuum complexus (Regungsmasse), prout res illa per se sola aut ad alias res ut causa ut effectus relata in mentem est intratura. Resuscitatur vero motus eo, quod moventis seu externae rei aliqua parte huic similis pars motus alicuius in mentem vocatur, quam partem totus sequitur motus, qui externam illam rem excipit. Cuius rei fieri potest, ut in mentem non intret nisi pars illa motum excitans, reliquae vero partes omnino non excipiantur a mente motum eundem putante atque rem, rem unam existimante varias res ex una modo alterave parte sibi similes. In tali excipiendi statu infantes sunt et singuli et gentes, sunt etiam homines temporum morumque progressu provecti, si quidem uno potissimum motu capti sunt et occupati, qui aut non excitatus praesens est in mente aut certe in mentis, quod dicitur, limine commoratur, ut si quid extrinsecus in mentem est intraturum, ipse quoque illud excepturus intret. Infanti ludenti quaevis res in quamlibet rem mutatur; videt quodcunque movet animum. Primitivo homini rerum ignotarum nullam nisi unam alteramve partem cui aliud quid prius perceptum simile sit intrare in mentem, cuiusque gentis mythologia docet. Indogermano nubes equi sunt, fulmen avis, solis radii crines, sagittae, aliae res alia. Amans si quam procul videt

ex aliqua parte similem amatae, saepe amatam ipsam esse putat. Qui quidem non multo post se errasse intelligit, secernit separanda, quae in mente coaluerant. In tranquilliorem vero mentem et motus et res movens intrant non aliter atque similium partium vinculo coniuncta. Quae si ut sibi similia percipiuntur et declarantur, fit, quae vulgo dicitur, comparatio, cuius comparationis tertium similes illae sunt motus et rei moventis partes.

Sed non modo res externae, etiam res ante aliter perceptae, quae nunc iam animi sunt motus, denuo seu sponte seu resuscitatae in mentem intrantes aliis motibus percipi possunt. Itaque etiam comparari possunt alii ex animo in mentem venientes motus cum aliis. Quibus poëtae utuntur comparationes pleraeque eiusmodi sunt.

Non dico de variis, quas variarum gentium eiusdemque gentis varii poëtae adhibent comparandi rationibus, de obiter tangendo deque copiose describendo animi motu resuscitato, de aliis similibus. Dicam de ratione, qua Graeci et Latini comparationem significantes utuntur, altera.

Duplex enim est ratio. Comparantes Graeci et Latini aut verba similitudinem significantia usurpant illi ἶσος, ἐοικώς, ὅμοιος, hi similis, par, aeque, iustar, alia aut voculas initio prorsus nil similitudinis exprimentes, illi ὡς, ὥςπερ, οἷος, καὶ hi ceu, ut, velut, tanquam quasi, qualis, atque. De his dicere mihi proposui.

Illae voculae quomodo eam quam habent vim sint adeptae, vulgo nil curant grammatici nostri et lexicographi. Accipiunt tradita tradunt accepta eamque notionem quae longo hominum usu his verbis inculcata est, genuinam et primariam esse et putant et docent. Nimirum etiam Germanus in comparando „wie“ vocula utitur quae Graecis illis et Latinis vocibus plane respondet. Hucusque autem grammatici non secreverunt quae in mentem intrant ab eis quorum opera intrant, nova aliena a pristinis suis. Linguam peregrinam non tractant nisi ipsorum linguae vernaculae habita ratione. Itaque id tantum commemoratione videtur dignum cui in

patria lingua nil respondet seu videtur respondere, unde monstra regularum illarum de verbis hunc illum casum regentibus, de ablativo absoluto, de accusativo cum infinitivo, de gerundio sunt orta. Si quid vero in utraque lingua sibi respondet, utrumque coalescere patiuntur nil amplius curantes. Falsa haec est et fallens ratio, praesertim cum etiam patrii sermonis praesens modo status menti obversetur grammaticorum non reputantium praesentem sermonem paullatim modo factum esse, velut illud ipsum ad errorem adducens „wie" tertio decimo certe seculo comparationis particulae nullo fungebatur munere. Recte non tractat linguam nisi qui percepta aliena a suis quorum opera percepit secernens quaerit eorum historiam, quam sint emensa viam, quaerit eorum originem, unde sint profecta.

Hanc adhibenti rationem voculae illae pleraeque nil praebent primitivi. Graecas omnes, latinas plerasque relativi esse pronominis nemo est quin sciat. Hoc autem ipsum non genuinum est verbum sed in Indogermanicis quidem linguis ex interrogativo aut demonstrativo derivatum seu potius temporum progressu ex iis ortum. Velut hodierna lingua nostra et „wer", „welcher" ex interrogativo et „der" ex demonstrativo ortum praebet pronomen relativum. Indicum „yas", Graecum „ὅς" e demonstrativo, Romanum „qui", Slavicum „ko-toruj", „który" ex interrogativo nata sunt.

Quo autem interrogativum factum est relativum modus non prorsus idem est in lingua Germanica atque in latina neque ullam habet causam cur „qui" voci simile aliquid atque „wer" Germanico occurrisse dicat Hartungius[1]). Hodiernum enim nostrum „wer" relativum ex „swer" ortum est quod decurtatum erat e „sô wer"; haec autem initio alterum sequebatur „sô" atque haec tria verba „sô wer sô" quorum „wer" indefiniti pronominis habebat vim latino respondebant „quicunque". Cum hoc „swer" si ὅςτις comparat Hartungius[2]) dicens: die ersteren (interroga-

[1]) De partic. graec. I p. 60. [2]) L. c.

tiva) werden im Griechischen und Mittelhochdeutschen zu diesem geschäft erst durch composition mit dem demonstrativ-relativ tüchtig gemacht und verrichten dasselbe nur im sinne von indefiniten" errat. Nam in ὅςτις τις voculae nulla inest vis relativa; solum ὅς relativo fungitur munere τις vero indefinitam modo quandam addit vim. Qua vero latini pronominis „qui" interrogativa significatio in relativam abiit, via omnino est ignota; nulla sunt pressa vestigia. Factum esse potest eo, quod interrogativum pronomen in enuntiatis usurpabatur quae ut vulgo dicunt, indirecte interrogant, ubi iam non est plena interrogativi vis. Sed et contractis duobus enuntiatis quorum in altero persona seu res aliqua quaeritur, in altero de eadem re seu persona aliquid refertur, interrogativum pronomen relativam vim accepisse potest. Ut quis initio dixerit: Quis hoc fecit? Puniendus est; Quem amavisti? Amamus eum, experiendi erat cupidus et interrogativam pronominis interrogativi vim, ad sciendi cupiditatem pertinentem plane prorsusque sensit. Sui erat iuris enuntiatum interrogativum, sui iuris alterum enuntiatum; utraque sententia aeque gravis erat. Paullatim demum conscius sibi fit loquens alteram altera minus esse gravem. Minus iam curat hominem seu rem pronomine significatam, id agit ut fiat illud in altero enuntiato commemoratum, ut fiat a quolibet ut faciat id quivis. Ut autem non curat loquens personam seu rem pronomine interrogativo significatam, ut huius gravitas delitescit, iam est interrogativum factum relativum quod nullam habet nisi formalem coniungendi vim. Cuius rei nullum mihi est in promtu exemplum nisi hebraicum; velut Moses Israelitis vitulum aureum adorantibus iratus exclamat[3]: מִי לַיהוָה אֵלָי׃ ubi מִי et interrogativam et relativam habere potest vim, ita ut possis vertere et: Quis Jahvae (scil. est)? Ad me (scil. veniat) et: Qui Jahvae (scil. est), ad me (scil. veniat.).

---

[3]) Exod. c. 32. v. 26.

Quae explicatio rectior mihi videtur, quam Aufrechtii[4]), cui Toblerus[5]) assentitur. Ut enim omittam neglexisse Aufrechtium relativi pronominis Germanici explicationem, ne dicam de ellipsibus, ad quas eum confugere oportet, nescio, quî in exemplo ab eo allato e „quid ii" interrogativum „quî" possit oriri, quidve hoc e „quid ii" ortum „quî" sibi velit, quid valeat.

Simili quodam modo atque ex interrogativo e demonstrativo pronomine prodit relativum. In enuntiatis velut: Τοῖσι δ' ἀνέστη Κάλχας Θεστορίδης οἰωνοπόλων ὄχ' ἄριστος, Ὃς ᾔδη τά τ' ἐόντα τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα Καί νήεσσ' ἡγήσατ' Ἀχαιῶν Ἴλιον εἴσω Ἣν διὰ μαντοσύνην, τήν οἱ πόρε Φοῖβος Ἀπόλλων, Ὃ σφιν ἐυφρονέων ἀγορήσατο, A 68—73 vel: Ἔνθα οἱ υἱὸς ἐπᾶλτο Πυλαιμένεος βασιλῆος Ἁρπαλίων, ὅ ῥα πατρὶ φίλῳ ἕπετο πτολεμίξων Ἐς Τροίην οὐδ' αὖτις ἀφίκετο πατρίδα γαῖαν. Ὅς ῥα τότ' Ἀτρείδαο μέσον σάκος οὔτασε δουρί N 643—646 primitus, quae variis vocis ὅς formis adiuncta sunt enuntiata, sui erant iuris eademque demonstrativa; pronomen acuto sono pronuntiatum rem seu personam memoratam digiti instar demonstrabat. Paullatim arctius coniunguntur enuntiata; demonstrativi ut nil grave significantis, ut repetentis modo vocis minus fit gravis vis, minus acutus sonus; magis movet mentem, quod de re seu persona iam memorata novi affertur, magis praedicatum utpote ignotum quam subiectum seu obiectum semel iam memoratum. Vi autem sonoque delitescente demonstrativum iam non est demonstrativum, iam est factum relativum.

Etiam „ei" gothicum, quocum coniuncta demonstrativa relativo funguntur munere, demonstrativo esse ortu inter omnes constat. Dissentiunt docti de primaria vocis forma, velut Pottius[6]) casum putat locativum quod mihi veri videtur simile, Aufrechtius[7]) vero ex „ita", neutrius generis casu

---

4) Kuhn, syllog. tom. I p. 284. 5) Ibid. tom. VII p. 377.
6) Etym. quaest. ed. II tom. II p. 405. 7) Kuhn, syllog. tom. I p. 286.

accusativo vel nominativo decurtatum, quod quî sit factum neque explicat neque facile est intellectu. Ceterum „ei“ initio cum demonstrativo demonstrativam habente vim coniunctum fuisse puto ut nos dicimus „der da“, postea demum cum relativae potestatis capax fieret mens, in nullis nisi relativis enuntiatis esse usurpatum.

Ab interrogativo igitur vel a demonstrativo pronomine repetendus est relativarum formarum ortus, repetendus videtur etiam comparationis quae dicuntur particularum iam ante relativi pronominis ortum usurpatarum.

Quomodo vero harum usus ab interrogativo pronomine est derivandus?

A pronomine demonstrativo facillime potest repeti. Si quis rem aliquam seu personam videns, alteram illi similem recordatur, quo alio modo atque illam demonstrans commemorat hanc? Hominem aliquem videns qui alius resuscitat memoriam nonne digito demonstrans dicit: „Sic ille“? Sic Schiller in tragoedia sua: „die raeuber“ inscripta: wie herrlich die sonne dort untergeht am horizont! Moor: so stirbt ein held anbetungswürdig.“ Ut vero spectatum ita etiam dictum potest demonstrari, si unus alterum motum vocat in mentem velut: Colchida sic hospes decepit Jason, sic a Dulichio elusa est Calypso“ Propertii III (II) 21, 11, 13. Neque resuscitans modo res, etiam resuscitata demonstratur si quidem prius commemoratur velut: wir sehen des berges haupt in purpur prangen wenn schon die sonne sinkt und daemmerung den hain umflort, so strahlt Erinnerung an dich geliebte von des freundes wangen.“ Lenau. Deinde vim exuens corpoream demonstrativum fit relativum utque relativum omnes ad comparandi actionem pertinentes motus comparationis particula exprimit ortusque sui immemor rem resuscitatam antecedit etiam si eam resuscitans sequitur illam demonstrans v. c. Ὡς δὲ λύκοι ἄρνεσσιν ἐπέχραον ἢ ἐρίφοισιν Σίνται ὑπὲκ μήλων αἱρεύμενοι αἵτ' ἐν ὄρεσσιν Ποιμένος ἀφραδίῃσιν διέτμαγεν . . . . ὣς Δαναοὶ Τρώεσσιν ἐπέχραον Π 352.

Etiam indica lingua illius rei praebet exempla. Duobus imprimis verbis indica lingua comparans utitur: „na" et „iva". Quorum quin hoc „iva" demonstrativi pronominis „i" sit non dubitatur. Illud a Benfeio, cui Pottius assentitur, non modo quod ad formam sed etiam quod pertinet ad vim et significationem idem putatur atque „na" quod negationis habet potestatem.

Dicit Benfeius:[8]) na nachgesetzt (erg. nicht ganz, aber doch ähnlich, fast) wie. Quod Pottius afferens addit haec: die lebhafte phantasie macht vergleiche von dingen und erscheinungen unter einander die freilich mit den augen des verstandes angeschaut nichts weniger als einander mathemathisch decken. Die poesie hat aher indem sie z. b. „ein mann wie ein löwe" sagt, ein vorzügliches interesse die identität als sich fast mit haaresschärfe erreichend vor das auge des hörers oder lesers hinzustellen. Sie vermag das aber schwerlich mit mehr eindringlichkeit zu thun, als wenn sie mittelst der verneinung bei dem, was zum vergleiche herangezogen wird (vir non, wofern man nicht prohibitives ne vorzieht, leo) gleichsam vor der sonst leicht zu befürchtenden verwechselung warnt. Mit „dieser mann nicht loewe" will aber der Dichter nicht etwa einen feigling bezeichnen, der vom loewen nichts hätte, damit gar keinen vergleich zuliesse, gegentheils meint er damit einen solchen, der so ganz löwe sei, dass ihm nur die völlige identität mit gedachtem thiere abgeht und von wirklicher verwechslung über den vergleich hinaus mit einigem ernst abgerathen werden muss." A qua explicatione tironi liceat dissentire. Primum Pottius poëtam summopere commotum simulque tranquillum, cum ratione quasi facit insanientem, eodem tempore et commota mente similia et tranquillo animo videntem dissimilia. Tum verum non puto primos illos poetas, de quibus utpote consuetudinem sermonis constituentibus hic est cogitandum, canentes respexisse

8) Glossar. s. v. na.

audientes, curasse utrum recte ab iis intelligantur an secus, alia atque quae ipsos commoverint expressisse. Denique, ut ista fecerint, oblitus videtur Pottius poetas secundum ipsius explicationem eodem tempore quo ne unum cum altero commutaretur vellent admonere, dicere quae possent commutari, commutationis facere copiam simulatque vellent prohibere. Quare „na“ illud comparativum nescio an eadem quidem atque „na“ negativum sit origine nempe e demonstrativo „ana“ ortum sed vi demonstrativa e qua negativam demum ortam esse docet Pottius. Non aliter demonstrativam habet vim „a“ comparativum quod et ipsum in lexico Petropolitano sic explicatur: „Die identität des nachfolgenden begriffes mit einem andern begriff im satze wird negirt. Durch ein solches einfaches negiren der identität wird indessen auf die ähnlichkeit der beiden begriffe in einer im satze näher angegebenen beziehung hingewiesen.“

Ex interrogativo vero pronomine comparationis particulam derivare non possum. Est autem interrogativa origo latinarum comparationis particularum: ut, velut, tanquam, quasi. Solum „ceu“ demonstrativam habet radicem. Primam enim huius vocis partem non ut M. Schmidtius[9]) „quî“ interrogativum sed ut Corssenius[10]) demonstrativum „ce“ puto. Nam e „qui“ haud quaquam „u“ omnino deleto, „ce“ ut e „si“ „se„ (sive-seu) oriri potest. Porro „va“ quod ut Schmidtius alteram esse vocis partem existimo, nuuquam interrogativo vel ex eo orto relativo sed aut demonstrativo aut ex eo derivato relativo videmus adiunctum velut i-va, jadi-va, si-ve.

De ceteris comparationis particulis latinis quod suspicor liceat mihi dicere, scilicet etiam in latina lingua initio nullas nisi demonstrativae originis voculas vim illam comparationis habuisse, postea vero cum ut particulae comparativae relativi fungerentur munere (ut „si“ demonstrativae

9) De pronomine graec. et latin. p. 80.
10) De pronuntiat. vocal. etc. II p. 282.

originis vox relativam omnino habet vim) harum demonstrativae originis vocum relativarum vice, alias et ipsas relativas sed interrogativae originis esse usurpatas, nullo iam intercedente discrimine inter voces varie quidem profectas idem vero significantes.

Utracunque vero sunt origine comparationis particulae, cum relativae sunt factae, etiam alias e comparationis vi prodeuntes habent significationes.

Facile rerum similitudini paritatem rerum opponebant, res similes modo non pares esse, specie modo vel opinione esse pares, non re dicebant. Inde comparationis particulae usurpabantur si qua species sive respondebat veritati sive repugnabat, porro si qua opinio seu manifesta seu ignota erat exprimenda, qua ductus aliquis quid ageret.

Eo vero quod et actio aliqua hominis cum eiusdem hominis perpetua aliqua seu animi seu corporis seu ordinis proprietate ut cum actionis causa comparari potest, nonnullae comparationis particulae usurpantur, si qua actionis causa affertur quae cum agentis indole et natura vel nota aliqua conditione cohaeret.

Exempla ut antecedentium similia his particulis adiungi non opus est explicato.

Ad singularum particularum transeunti tractationem Graecarum simplicissimam se praebet „ὡς“ vocula, quae proprie ablativus est casus pronominis „ὅς“. Quae ut est simplicissima, ita ut propria comparationis particula saepissime occurrit in antiquissimo quod traditum est litterarum Graecarum monumento, in Homeri carminibus. A quo et initio enuntiatorum resuscitatum motum exprimentium v. c. Ὡς δὲ λέων μήλοισιν ἀσημάντοισιν ἐπελθὼν Αἴγεσιν ἢ ὀίεσσιν κακὰ φρονέων ἐνορούσῃ K 485; ὡς δὲ λέων ἐλάφοιο ταχείης νήπια τέκνα Ῥηιδίως συνέαξε λαβὼν κρατεροῖσιν ὀδοῦσιν A 113; ὡς δὲ γυνὴ κλαίῃσιν φίλον πόσιν ἀμπεσοῦσα ὅςτε ἑῆς πρόσθεν πόλιος λαῶν τε πέσῃσιν θ 523; ὡς δὲ πατὴρ ὃν παῖδα φίλα φρονέων ἀγαπάζει ἐλθόντ' ἐξ ἀπίης γαίης δεκάτῳ ἐνιαυτῷ

π 17. et singulis additur vocibus eisque saepius ut „iva“ „na“ indica postposita, raro antecedens sive solae hae revocatum exprimunt motum v. c. ὁ δ' αὖτ' ἔπεσεν μελίη ὥς N 178; θεὸς ὣς τίετο δήμῳ ξ 205; πεσοῦσ' ὡς εἰναλίη κήξ O 479; sive enuntiatum explicans eis adiungitur v. c. οι δ' ἔτι κὰμ μέσσον πεδίον φοβέοντο βόες ὥς ἅς τε λέων ἐφόβησε μολὼν ἐν νυκτὸς ἀμολγῷ Λ 172; νιφάδες δ' ὥς πῖπτον ἔραζε, ἅς τ' ἄνεμος ζαὴς νέφεα σκιόεντα δονήσας ταρφειὰς κατέχευεν M 156; νῦν δέ με .... εἵμαρτο ἁλῶναι ... ὡς παῖδα συφορβὸν ὃν ῥά τ' ἔναυλος ἀποέρσῃ ... Φ 282. Recte igitur Spitznerus[11]) Butmanni[12]) opinionem refellit in comparatione vera et plena, in qua ὡς nominativo vel accusativo praemissum Latinorum particulae „instar“ respondeat, nullum ei sedem esse relictam.

Saepissime ὡς et integris enuntiatis et solis nominibus praemisso „τε“ vocula adiungitur. v. c. Τῶν ὥς τ' ὀρνίθων πετεηνῶν ἔθνεα πολλὰ ..... ἔνθα καὶ ἔνθα ποτῶνται ..... ὣς τῶν ἔθνεα πολλά B 459; τῶν δ' ὥς τε δρυτόμων ἀνδρῶν ὀρυμαγδὸς ὀρώρει .... ἕκαθεν δέ τε γίγνετ' ἀκουή ὥς τῶν ὤρνυτο δοῦπος Π 633; δακρυόεσσα δ' ὕπαιθα θεα φύγεν ὥς τε πέλεια ἥ ῥά θ' ὑπ' ἴρηκος Φ 493. Quod „τε“ cum pronomine indefinito „τις“ cohaerere videtur ut κε particula[13]) cum ea radice e qua κως, κότερος alia sunt orta idemque significare atque latini pronominis indefiniti forma: „que“ nempe „aliquo modo“, „aliquo tempore“, „aliquo loco“.[14]) Tale autem aliquid recte additur animi motui resuscitato ut-

---

11) Excurs. XXVI ad Iliad. O 382.

12) Lexilog. I 226.

13) Etym. quaest. ed. II tom. II p. 427 et 429 annot.

14) Miror Hartungium qui „τε“ demonstrativam tribuat originem (de partic. I p. 64) ὥς τε vocibus, falsam esse illam opinionem non esse edoctum. Quomodo enim ὥς τε „so wie“ valere potest demonstrativo τε relativae voci ὡς postposito? Neque Nägelbachius qui (in excurs. I ad Homer Iliad.) Hartungio assentitur, eius opinionem ulla re confirmavit.

pote qui plerumque non ad unam certam rem pertineat. Non certae sunt aves, non hi operae, non ista columba, quae in canentis memoriam vocantur clamantibus illis, his ingredientibus, ista trepidante.[15]) Quare interdum etiam „τις" voculam rei resuscitatae videmus additum v. c. Ἀμφὶ δ' ἄρ αὐτῷ βαῖν' ὥς τις περὶ πόρτακι μήτηρ P 4; et utrumque τις et τε Βῆ δ' ἰέναι ὥς τίς τε λέων ἀπὸ μεσσαύλοιο ὅς τ' ἐπεὶ ἄρ κεκάμησι κύνας τ' ἄνδρας τ' ἐρεθίζων P 657.

Inde quoque fit, ut saepe in comparationibus modus usurpetur coniunctivus v. c. οἱ δ' ὥς τ' ἀμητῆρες ἐναντίοι ἀλλήλοισιν ὄγμον ἐλάυνωσιν ἀνδρὸς μάκαρος κατ' ἄρουραν Λ 67. Neque vero ad sententiam incertam i. e. non ad unam, certam rem spectantem exprimendam utrumque et „τε" et coniunctivum oportet adhiberi; alterum sufficit v. c. ἡ δ' ὥς τ' ἐν πεδίῳ τετράοροι ἄρσενες ἵπποι πάντες ἅμ' ὁρμηθέντες .... ῥίμφα πρήσσουσι κέλευθον ν 81; τῶν δ' ὥςτε ψαρῶν νέφος ἔρχεται ἠὲ κολοιῶν οὖλον κεκληγῶτες P 755; ὡς δὲ δράκων ἐπὶ χείῃ ὀρέστερος ἄνδρα μένησιν Χ 93. Quod Hermannus de modorum in comparationibus usu et discrimine disseruit[16]), equidem probare non possum. Etenim Hermannus modos indicativum et coniunctivum pro rerum, quibuscum quid comparetur, statu usurpari dicit, cum res quarum status similis est et indicativo et coniunctivo expressas videamus, v. c. ὡς δέ γυνὴ κλαίησιν φίλον πόσιν ἀμπεσοῦσα, ὅς τε ἑῆς πρόσθεν πόλιος λαῶν τε πέσησιν ϑ 523 contra Ι 17: ὡς δὲ πατὴρ ὃν παῖδα φίλα φρονέων ἀγαπάζει ἐλθόντ' ἐξ ἀπίης γαίης· vel τῶν δ' ὥς τε ψαρῶν νέφος ἔρχεται ἠὲ κολοιῶν οὖλον κεκληγῶτες P 755 contra χ 302: οἱ δ' ὥς τ' αἰγύπιοι γαμψώνυχες ἀγκυλοχεῖλαι ἐξ ὀρέων ἐλθόντες ἐπ' ὀρνίθεσσιν θόρωσιν vel ἠύτε πῦρ ἀίδηλον ἐπίφλέγει ἄσπετον ὕλην οὔρεος ἐν κορυφῇς Β 455 contra Λ 155: ὡς δ'

15) Simili quodam modo οἷαί τε ab Hermanno explicatur hymn. homer. in Demetr. v. 103.

16) Append. ad Viger p. 911.

ὅτε πῦρ ἀίδηλον ἐν ἀξύλῳ ἐμπέσῃ ὕλῃ. Quare non variarum rerum varium statum variamque conditionem sed variam seu varias seu similes seu easdem res percipiendi rationem hic esse respiciendam puto. Unam eandemque rem, nedum similes modo et varias res in mentem revocatas idem poeta modo ut certam, ut quae re vera fiat, modo percipere potest ut incertam itaque eandem seu similem rem describens tum indicativo tum uti potest coniunctivo modo. Omnino errat Nägelsbachius qui in comparativis enuntiatis coniunctivum futuri loco esse usurpatum putat.[17])

Ceterum similiter atque „τε“ ab Homero, „quondam“ et „olim“ a latinis usurpantur poëtis velut: Carbasus ut quondam magnis intenta theatris dat crepitum malos inter iactata trabesque Lucret. VI 109; adversi rupto ceu quondam turbine venti confligunt Zephyrusque Notusque et laetus Eois Eurus equis Virg. Aen. II 416; concidit ut quondam cava concidit aut Erymantho aut Ida in magna radicibus eruta pinus ib. V 448; frigidus ut quondam silvis immurmurat Auster id. Georg. IV 260; ipse cruor gelido ceu quondam lamina candens tincta lacu stridit Ovid. Metamorph. IX 170, ubi „quondam non usitatam habet vim „praeterito quodam tempore“ sed primariam, minus solitam, scilicet „aliquo tempore“. Nam „quondam“ quasi accusativum pronominis „quidam“ esse ut „quom“, „quon“ (quon-iam) pronominis „qui“ manifestum est. In quidam autem non est „dam“ suffixum quod „qui“ voci indefinitam addit vim, quae potius ex sola interrogativa oritur. Idem atque „τε“ et „quondam“ olim vox valet in enuntiatis velut: Non secus atque olim tonitru cum rupta corusco ignea rima micans percurrit lumine nimbos Virg. Aen. VIII 391; ut pueris olim dant crustula blandi doctores Horat. sermon. I 1,25. ut olim amisso dubiae rege vagantur apes Ovid. fast. III 555.

Post Homerum ὡς vocula sola rarius enuntiata antecedit

---

17) Annotat. ad Iliad. p. 206.

quam singulas voces v. c. πάντοθεν βόρεως ὥς τις ἀκτὰ κυματοπλὴξ χειμερία κλονεῖται ὣς καὶ τόνδε Soph. O. C. 1240. οὐ μόλπαν σύριγγος ἔχων ὡς ποιμὴν ἀγροβότας Philoct. 214. σὺ δ' ἡ κατ' οἴκους ὡς ἔχιδν' ὑφειμένη λήθουσά μ' ἐξέπινες Antig. 531. τάκομαι ὡς πετρίνα πιδακόεσσα λιβάς Eurip. Androm. 116. ὃς ἐφ' ἁμετέρᾳ γᾷ .... ὀξέα κλάζων αἰετὸς ἐς γᾶν ὥς ὑπερέπτα Antig. 112. ubi ὥς postpositum est ut δοῦλον ὥς Aeschyl. Pers. 731; τοξότης τις ὥς id. tqam. 1167; φελλοὶ δ' ὥς ἄγουσι δίκτυον id. Choept. 499. ἐχθροῖς δ' ἄστρον ὥς λάμψειν ἔτι Soph. Electr. 66 προὔκλαιον ὀξύφωνος ὡς ἀηδὼν Trach. 965 ubi inter adiectivum et substantivum positum est „ὡς" ut: ὡς εὐμαθές σου φώνημ' ἀκούω χαλκοστόμου κώδωνος ὡς Τυρσηνικῆς Soph. Aiax 17, τὰν κισσὸς ὡς ἀτενὴς πετραία βλάστα δάμασεν Antig. 827.

Neque ullam e comparativa vi prodeuntem significationem habet ὡς vox apud Homerum, habet eas post eum. Exprimit speciem in enuntiatis velut: Ἐκερτόμησας δῆθεν ὡς παῖδ' ὄντα με Aeschy. Prometh. 988; μαντευσόμεσθα τἀνδρὸς ὡς ὀλολότος id. Agam. 340, Οὐ γὰρ ὡς ἐν δυσμενείᾳ γ' οὖσ' ἐπαιτεῖται τάδε Soph. Electr. 112, opinionem consilium agentis v. c. Ἐκ Λέσβου πέρην διαβαίνει ὡς ἀμήσων τὸν σῖτον Herod. VI 28. οἱ δ' Ἀθηναῖοι παρεσκευάζοντο ὡς πολεμήσοντες Thucyd. II 7; ὡς τίς γενησόμενος ἔρχει παρὰ Πρωταγόραν Plato Protag. p. 312 A; τά τε ἄλλα καὶ παῖδας ἐν αὐτῇ ἐποιήσω ὡς ἀρεσκούσης σοι τῆς πόλεως id. Crito p. 52 C. ὠθεῖν δ' ἀπ' οἴκων πάντας ὡς μιάσματος τοῦδ' ἡμῖν ὄντος ὡς τὸ Πυθικὸν θεοῦ μαντεῖον ἐξέφηνεν ἀρτίως ἐμοί Soph. O. T. 241.

Ideo etiam voces, quae appellandi declarandi habent vim, cum ὡς coniunguntur v. c. οἱ δ' ἄλλοι πάντες ὡς συναίτιοι λεχθέντες Plato politic. 289 C; πολιτικὴν ὡς ἀποτετελεσμένην προσαγορεύειν ibid. 276 C.[18]); τῶν ξυμφυλάκων νομίσαι ἢ προσειπεῖν ὡς ἀλλότριον id. republ. V. p. 463 C. ὡς μηκέτ'

---

[18]) Cf. Bernhardy Syntax. p. 333 et Stallbaum ad Platon. Politic. 289 D.

ὄντα κεῖνον ἐν φάει νόει Soph. Philoct. 415, ὡς μηδὲν εἰδότ' ἴσθι μ' ὧν ἀνιστορεῖς ibid. 253.

„Ὡς" et „τε" vocum paullatim fit arctior coniunctio, unum fiunt verbum in quo singularum partium iam non agnoscuntur significationes quodque singulas voces saepius quam integra enuntiata antecedit v. c. ἐξαπίνης δὲ ὥςτ' ἄνεμος νεφέλας αἶψα διεσκέδασεν ἠρινὸς .... Solon 13, 18 ed. Bergk. πολλὰ γὰρ ὥςτ' ἀκάμαντος ἢ Νότου ἢ Βορέα τις κύματ' ἐν εὐρέϊ πόντῳ βάντ' ἐπιόντα τ' ἴδοι οὕτω δέ Soph. Trach. 112; κατώρυχες δ' ἔναιον ὥςτ' ἀήσυροι μύρμηκες Aeschyl. Prometh. 452; σὺ δ' ὥςτε νηὸς κεδνὸς οἰακοστρόφος id. sept. 62; πάντες ὥςτε τοξόται σκοποῦ τοξεύετ' ἀνδρὸς τοῦδε Soph. Antig. 1032; τί νέον καρύξας' οἴκων μ' ὥςτ' ὄρνιν θάμβει τῷδ' ἐξέπταξας Euripid. Hecub. 79; postpositum est ὥςτε Aeschyl. Agam. 1656: ἀλέκτωρ ὥστε, suppl. 732: κόρακες ὥς τε. Ceterum hac quidem potestate haud tam saepe ὥς τε a poetis usurpatur, raro etiam ex illa ortas habet significationes velut: ὥςτε δὴ θαλασσοκράτορες ἐόντες Herod. V 83; ὥςτε ταῦτα νομίζων id. I 8. ubi actio singularis cum perpetua comparatur proprietate, qua vi ὥς τε etiam ab Atticis pedestris orationis scriptoribus usurpari contendit Lobeckius[19]), negant Schaeferus, Poppo alii.

Ut in ὥςτε sic etiam in aliis verbis quae ex simplici relativo et alia vocula composita seu derivata sunt e relativo, paullatim ea vis evanescit quae altera vocula seu suffixo accesserat; nil restat nisi simplicis relativi potestas velut „ποῖος" in graeca quae dicitur vulgari lingua idem valet atque „τίς", „qualis" et „hueleicks" ut „quel" et „welcher" qua postea usurpantur forma simplicis modo relativi funguntur munere, „hwedar" quod eadem atque c-uter est origine, in nono iam seculo amisit vim ad comparationem pertinentem. „Ὅςτε" et ὅςτις" vero aliam atque simplex „ὅς" habere potestatem, exempla ab Hermanno de his vocibus disputante[20]) allata

19) Ad Phryrich. p. 427.

20) Oed. tyr. Erfurdt ed. II v. 694 et ed. III praefat.

mihi persuaserunt. Quod autem explicationis suae argumentum affert dicens: Apertum est primo statim aspectu cum alterum horum pronominum simplex sit, alterum autem compositum ex illo simplici et alio, non posse utriusque eandem vim esse sed in composito accedere aliquid quod non sit in simplici, id argumentum quod ad posteriores quidem scriptores pertineat, iis quae modo disserui puto refutari.

Eodem modo atque „τε" in „ὥςτε", „περ" e „περί" decurtatae vocis vis paullatim oblitterata est quae cum ὡς coniuncta in comparationis enuntiatis apud posteriores scriptores usitatissima est. Apud Homerum in iis quae vulgo Homericae dicuntur comparationibus, nempe ubi res variae ex una alterave partes similes videri dicuntur, omnino non usurpatur; adhibetur tantum si qua persona seu res revera idem facere seu esse dicitur atque eiusdem generis altera quam illud facere seu esse notum est v. c. ἦ ῥα καὶ ἄλλοι ἐυκνήμιδες Ἀχαιοί ἐν θυμῷ βάλλονται ἐμοί χόλον ὥς περ Ἀχιλλεύς Ξ 50; εἴ κε καὶ αὐτὸς ἰὼν κοίλης ἐπὶ νηὸς Τῆλε φίλων ἀπόληται ἀλώμενος ὥς περ Ὀδυσσεύς β 333; ἐπεί σφισιν εγγύθεν εἰμὲν ὥς περ Κύκλωπές τε καί ἄγρια φῦλα Γιγάντων η 205. Videtur Homerus „περ" vocis vim etiam in hac coniunctione agnovisse. „Περ" enim eius cui additur vocis vim auget; qualitatem adiectivo nomine expressam intentam, auctam significat v. c. Οὐδ' ἂν ἔτι φράδμων περ ἀνὴρ .... ἔγνω Π 638, personam seu rem substantivo nomine seu pronomine expressam singularem quodammodo, e similium numero significat exemtam esse v. c. Τόδε πέρ μοι ἐπικρήηνον ἐέλδωρ Θ 243; σὺ δ' ἄλλους περ Παναχαίους τειρομένους ἐλέαιρε Ι 301. Inde relativis additur enuntiatis quae peculiarem eoque notam alicuius proprietatem exprimunt v. c. Οὔ νύ πω αἶσα σῷ ὑπὸ δουρὶ πόλιν πέρθαι Τρώων ἀγερώχων οὐδ' ὑπ' Ἀχιλλῆος, ὅς περ σέο πολλὸν ἀμείνων Π 709; οὐδὲ γὰρ οὐδὲ βίη Ἡρακλῆος φύγε κῆρα ὅς περ φίλτατος ἔσκε Διὶ Κρονίωνι ἄνακτι Ε 118; καί μέν δή πού τις μέλλει βροτὸς ἀνδρὶ τελέσσαι, ὅς περ θνητός τ' ἐστὶ καὶ οὐ τόσα μήδεα

οἶδεν ib. 362; καὶ ἂν ποταμοῖο ῥέεθρα Ὠκεανοῖο ὅς περ γένεσις πάντεσσι τέτυκται Ξ 246; καὶ γὰρ δή νύ ποτε Ζῆν' ἄσατο τόν περ ἄριστον ἀνδρῶν ἠδὲ θεῶν φασ' ἔμμεναι Τ 95. Hanc „περ" vocis potestatem in supra commemoratis enuntiatis etiam in „ὥς περ" agnitam esse opinor. Similiter atque ab Homero „ὥςπερ" a tragicis interdum adhibetur quamvis haud dixerim eos „περ" vocis vim agnovisse velut: πεισθήσομαι θανὼν πρὸς φῶς ἀνελθεῖν ὥςπερ οὑκείνου πατήρ Soph. Philoct. 624; ζῆν ὥςπερ ἤδη ζῇς ἄνευ σωτηρίας id. 1382. Sed apud eos ut vulgo in prosa oratione initio vulgarium comparationum occurrrit v. c. ὥςπερ γὰρ ἵππος εὐγενὴς κἂν ᾖ γέρων ἐν τοῖσι δεινοῖς θυμὸν οὐκ ἀπώλεσεν ἀλλ' ὀρθὸν οὖς ἵστησιν ὡςαύτως Soph. Electr. 25. E prosa oratione sat est afferre: ὥςπερ ἡμῖν τὰ τῶν ἰατρῶν φάρμακα χρώμασι καὶ ὀσμαῖς πεποικιλμένα ἄλλα φαίνεται τὰ αὐτὰ ὄντα Plat. Cratyl p. 24.

Sine ulla vi etiam apud Homerum voci „ὡς" „ὅτε" adiungitur. Cui post „ὡς" proprie nullus est locus concessus nisi initio enuntiatorum quae, quibus resuscitatae res re vera fiunt conditiones describunt velut: Οἱ δ' ὁτὲ μὲν θρέξασκον ἐπισταμένοισι πόδεσσι ῥεῖα μάλ' ὡς ὅτε τις τροχὸν ἄρμενον ἐν πάλαμῃσιν ἑζόμενος κεραμεὺς πειρήσεται αἴ κε θέῃσιν Τ 600. Saepe autem ὡς voci additur etiam nullo omnino sequente alio atque quod ad ὡς pertinet enuntiato v. gr. Μαίνετο δ' ὡς ὅτ' Ἄρης ἐγχέσπαλος ἢ ὀλοὸν πῦρ Οὔρεσι μαίνηται βαθέης ἐν τάρφεσιν ὕλης Ο 605; ἤριπε δ' ὡς ὅτε τις δρῦς ἤριπεν ἢ ἀχερωΐς ἠε πὶτύς βλωθρή Π 482; ὡς δ' ὅτε ταρφειαὶ νιφάδες Διὸς ἐκποτέονται ψυχραὶ ὑπὸ ῥιπῆς αἰθρηγενέος Βορέαο, ὥς τότε Τ 357 et ὅτε sequente ἂν vocula: ὡς δ' ὅτ' ἂν ὠδίνουσαν ἔχῃ βέλος ὀξὺ γυναῖκα δριμὺ τό τε προιεῖσι μογοστόκοι εἰλείθυιαι Λ 269. In his enuntiatis ὅτε omnino abundat; haud quaquam ulla sententiae pars ὅτε omisso mutatur. Non aliter ὅτε omni vi est privatum si post ὡς ante nomina substantiva usurpatur velut: ἤριπε δ' ὡς ὅτε πύργος ἐνὶ κρατερῇ ὑσμίνῃ Δ 462; ἕστασάν ὡς ὅτε τε δρύες οὔρεσιν ὑψικάρηνοι Μ 132; ἤσ-

πείρ' ὡς ὅτε βοῦς N 57.

Sunt qui structuram ellipticam putent subaudirique velint post ὡς vel post ὡς ὅτε verbum aliquod velut Passovius[21] Buttmannum[22] ut videtur secutus ἤριπε δ' ὡς ὅτε πύργος ἐνὶ κρατερῇ ὑσμίνῃ pro ὡς ὅτε πύργος ἤριπε dictum esse putat plenamque esse orationem in enuntiato: ἤριπε δ' ὡς ὅτε τις δρῦς ἤριπε, quod et ipsum explicatione carere cum aut desit verbum ad quod ὡς spectat aut supervacaneum sit ὅτε, non vidit Passowius. Vidit hoc Nägelsbachius qui ὡς ὅτε κῦμα βρέμεται vertit:[23] mit einem getöse wie es tost wenn .... die woge tost, quem sequens quod Passowius affert: ἤριπε δ' ὡς ὅτε δρῦς ἤριπε vertas necesse est: er fiel wie fällt wenn eine eiche fällt. Quae explicatio quam sit torta nemo est quin videat. Nam ut omittam quae de structura elliptica falso percepta possum dicere, nulla est causa cur non initio cum agendi verbo coniungatur agentis rei seu personae nomen, cur verbum iteretur. Nam comparanti una veniunt in mentem et agens et actio. Quare equidem hanc potius huic rei puto originem. Frequenti ὅτε vocis cum ὡς coniunctione una alteri arcte associata est ita ut altera in mentem intrans invita mente et nescia secum duceret etiam alteram etiam nil omnino significantem neque ullo fungentem officio.

Accidit idem „si“ voci Romanae cum relativo „quam“ coniunctae quocum „quasi“ voculam, usitatam comparationis particulam edidit. Nam „quam“ et non „qua“ priorem vocis partem esse et „quansei“ ostendit quod in lege agraria occurrit: „de eo agro siremps lex esto quansei is ager“ et „a“ breve. Nam monosyllabi „quā“ non facile correpta esset vocalis a, quoque exemplo utitur Pottius[25] „modo“ vox est iambica. Iambicarum autem vocum vocales finales

---

21) Lexic. s. v. ὡς A I. 22) Lexilog. 203 (101, 1).

23) Annot. ad. Iliad. p. 161.

24) Etym. quaest. ed. II tom. I p. 354.

correptas esse ab antiquioribus poëtis eiusque correptionis exempla etiam posteriorem linguam praebuisse velut „male“, „bene“ notum est.

Illud „quam“ in iis quae tradita sunt lingua monumentis comparativae particulae munere plerumque tum modo fungitur si quae res seu pares seu impares pro qualitatum gradu comparantur. Respondet igitur „tam“ demonstrativae voci v. c. tam gratumst mihi quam ferunt puellae pernici aureolum fuisse malum Catull. 2, 11 et comparativum adiectivorum modum sequitur. Sed post comparativos adiectivi modos non ab initio usurpabatur.

Primitus illa comparativi notio expressa erat singulari adiectivi quae dicitur comparativa forma et substantivi ablativo. Postea demum cum haec ablativi vis delitesceret comparativi notio cum sola illa adiectivi forma coniungebatur comparatumque substantivum etiam „quam“ vocula adiungi poterat. Non aliter in Graeca lingua ἤ post comparativos venit in usum. Utrumque vero et „quam“ et „ἤ“ nil secum ferunt quod ad gradus magis pertinet quam ad modi comparationem, utrumque idem significant atque „ὡς“ „ut“ in modi comparationibus usurpata. Licet enim „ἤ“ et „quam“ alia sunt forma atque “ut“ et “ὡς“, tamen omnes hae voces in comparativis enuntiatis non usurpatae sunt nisi propria formae vi exutae et formalem demonstrativi seu relativi vim adverbialem adeptae. Initio igitur nullum erat inter varias voces discrimen quod potius paullatim nascebatur. Itaque non modo „ut“ sed etiam „quam“, non modo „ὡς“ sed etiam „ἤ“ in modi comparationibus usurpata fuisse possunt neque mirum quod e „quam“ aliisque vocibus composita „tan-quam“, „quasi“ in modi comparationibus etiam nobis occurrunt.

De ἤ vocis origine ut obiter hoc commemorem docti dissentiunt. Etenim Pottius[25]) Hartungio[26]) assentitur qui

25) Etym. quaest. ed. I tom. II p. 318.

26) De partic. graec. II p. 50.

„ἤ“ et comparativam et quae dicitur disiunctivam habens significationem idem putat atque indicum wâ; Pottium Kuhnius[27]) et Curtius[28]) sequuntur. Ebelus[29]) ἤ ex ἐϝε putat ortum quod cum wâ cohaerere non negat. Sonnius[30]) vero ἤ instrumentalem putat casum demonstrativi pronominis „a“ qui disiunctivam vim initio nonnisi iteratus habuerit. Quacunque autem est origine ἤ demonstrativam propriam et primariam habuit significationem. Nam et wâ quod ut supra commemoratum est etiam in „iwa“ indica comparationis particula occurrit, demonstrativa est origine. Decurtatum enim videtur ex a-wa ut na ex ana.[31]) Awa autem in lingua Zendica pronomen est demonstrativum cui respondet slavicum pronomen owo owa owo et graecum αὐ in αὐτός et αὖ.[32]) Illud wâ etiam in ἠύτε occurrit, quod ex ἤ-ϝε-τε esse ortum multo est verisimilius quam, ut vult Buttmannus, ex ᾗ εὖτε vel ex ᾗ ὅτε, quodque et „ὡς“ et „ἤ“ vocis habet vim v. c. ἠύτε ἔθνεα εἶσι μελισσάων ἁδινάων πέτρης ἐκ γλαφυρῆς αἰεὶ νέον ἐρχομενάων et νέφος μελάντερον ἠύτε πίσσα φαίνετο Δ 277.

Eadem atque ἤ origine videtur ἦ affirmativa et interrogativa particula. Nam demonstrativas formas initio interrogantium enuntiatorum usurpari Latina „num“ (quod „ce“ auctum nunc edit) et „ec“, quod ex „en“ ortum, ut „ec-ce“ ex „en-ce“, in enuntiatis interrogativis pronominibus indefinitis praeponitur — ec-quis, ec-quid- alia ostendunt. Interrogans enim id de quo interrogat demonstrat ut nos dicimus: wer da? Inde slavicum „kto“ interrogativum e „kotuj“ simplici interrogativo et demonstrativo ortum est. Hebraicum אֵי־פֹה ex interrogativo אֵי et demonstrativo פֹּה, אֵי־כֹה ex אֵי et demonstrativo quasi modali casu כֹּה compositum est quod solum ut כֹּה, duplicatum occurrit ut כָּכָה.

27) Kuhn, syllog. tom. III p. 133. 28) Ibid. II p. 76.
29) Ibid. V p. 70. 30) Ibid. XII p. 276.
31) Cf. Pott. etym. quaest. ed. II tom. I p. 381.
32) Cf. Bopp. glossar. s. v. ava et Pott. etym. quaest. ed. II tom. II p. 869.

Quasi, ut redeam ad incepta, usurpabatur si cuius rei alias atque re vera exstarent conditiones in mentem venisse indicabatur v. c. quaerere semper commutare locum quasi onus deponere possit. Lucret. III 1057. Paullatim „si" in „quasi" omnino non sentiebatur itaque initio simplicium comparationum omnino abundans occurrit v. c. quasi Dircam olim duo gnati Iovis devinxere item constringam Plaut. Pseudul. I 2, 65 (199); sed quasi naufragiis magnis multisque coortis disiectare solet magnum mare transtra sic tibi Lucret. II 552; semel[33]) apud Ciceronem: quasi poma cruda si sunt .... vix evelluntur... sic ... id de senectut. 19, 7; sine verbo seu potius suffecto verbo: ut quasi aurum igni sic benevolentia fidelis periculo aliquo perspici possit Cic. ad. fam. IX 61; item nos quasi in mercatus quandam celebritatem ex urbe aliqua sic in hanc vitam ex alia vita et natura profectos Tuscul. V 3, 9; et ante sola substantiva v. c. ita quasi incudem me miserum caedant; Plaut. Amphitr. I 1, 7; arguere visust familiaris me cum alieno adulescentulo quasi nunc tu esse osculatum id. miles (390) II 4, 37; quasi piscis itidemst amator lenae id. asinar. I 3, 26 (178), Eadem de causa, nempe propter „si" vocis vim non agnitam interdum ante falsas conditiones describentia enuntiata „si" iteratur et vera allata conditione „cum" post „quasi" usurpatur v. c. putem ego aeque esse maestum, quasi dies si dicta sit Plaut. asinar. (83) V 1, 11; tollunt clamorem quasi si iugulentur ibidem Lucret. IV 1007; et quasi, cum caput aut oculus temptante dolore laeditur in nobis, non omni concruciamur corpore, sic animus id. III 147.

Cui contrarium „si" accidit coniuncto cum „veluti" „velut", „tanquam". „ceu" comparationis particulis latinis. Quae tria composita sunt primum e „vel" et „uti", alterum e „tam" et „quam", tertium ut supra iam dixi e „ce" et „ve".

---

33) Cf. Madvig. opusc. academ. I 494.

„Uti", „ut" simplicissima est omnium quae huc pertinent comparationis particularum quas latina praebet lingua. Decurtatum e „c-uti" ut „ubi" e c-ubi (ali-cubi, si-cubi) „unde" e „cunde" (ali-cunde) interrogativi et relativi pronominis modalis est particula „ti" suffixo formata ut „iti" indica particula demonstrativi est pronominis.

Fungitur autem omnibus fere muneribus quae ex prima comparationis particularum oriuntur significatione. Hanc primam vim habet in simplicibus enuntiatis comparativis v. c. sic ego currebam, sic me ferus ille premebat ut solet accipiter agitare columbas Ovid. metamorph. V 609 et antecedente re in mentem vocata: ut volucris visis motus extis . . . flectitur in gyrum sic inclinat cursus Ovid metamorph. II 716.

In talibus enuntiatis interdum relativo „ut" demonstrativum „sic" ad alterum proprie pertinens enuntiatum praeponitur, unde „sicut" ortum est cuius primae demonstrativae partis vis paullatim delitescit, ita ut post ralativum enuntiatum iteretur v. c. sicut in aethere non arbor non aequore salso nubes esse queunt, sic animi natura nequit Lucret. V 728.

„Ut" vocis porro simplex est vis comparativa in compositis comparationis enuntiatis ante „cum" quod Graeco „ὅτε" respondet quodque enuntiata quae rei resuscitatae conditiones exprimunt, antecedit v. c. Ut fremit acer equus cum bellica aere canoro signa dedit tubicen pugnaeque assumit amorem Ovid metamorph. III 709 et ante „si" plerumque antecedens enuntiata quae non veras rei resuscitatae sed alicuius quae disseritur seu canitur, rei falsas in mentem vocatas conditiones, falsam quasi, quam res praebet, speciem atque quacum res vera quasi comparatur, exprimunt inque quibus ut falsum exprimentibus enuntiatis verbi coniunctivus qui dicitur, modus saepissime imperfecti interdum etiam praesentis temporis usurpatur v. c. causa ita dicitur ut si in commenticia Platonis civitate res ageretur Cic. de orat. I 53; ita fideliter praesto fuit ut si a me manumissus esset id ad famil. III, 21, 4; miles correptis securibus ut si murum perrum-

peret caedere tegmina Tacit. annal. III 46.

Quod hominum opinione non re vera exstat „ut" in enuntiatis significat velut: hic onus horret ut parvis animis et parvo corpore maius Horat. epist. I 17, 40. milites ut falsum rumorem aspernantes custodire sermones Tacit. hist. II 52; quos Vitellius agmini suo iungi ut fidos iubet id. hist. II 66; repertis eorum catenis quas in Romanos ut non dubio eventu portaverant id. annal. II 18.

Denique „ut" et simplex et imprimis cum „pote" coniunctum in enuntiatis usurpatur, quae manifestam aliquam actionis causam exprimunt v. c. furor . . . vestras attonuit mentes . . . . ut quos non belliger ensis, non tuba terruerint. Ovid. metamorph. III 535; satin nequam sim utpote qui hodie inceperim amare Plaut. rud. II 5, 5; pater meus puerulo me utpote non amplius novem annos nato in Hispaniam proficiscens Iovi hostias immolavit Nep. Hannib. II.

Eodem fere modo atque simplex „ut", compositum „velut" usurpatur cuius prima pars „vel" cum „velle" verbo cohaeret ita ut primaria vis vocis sit „si vis (illud est) ut" v. c. veluti pueri trepidant atque omnia caecis in tenebris metuunt, sic nos in luce timemus interdum Lucret. III 87; velut nil sensimus aegri, sic ubi non erimus ibid. 830; cerebrum fluit molle veluti lac solet Ovid. metam. XII 436; ne insolenter aestues velut minuta magno deprensa navis in mari Catull. 25, 12, ubi utrique enuntiato commune est praedicatum, quod raro occurrit apud Lucretium, saepius apud Catullum et Ovidium, saepissime apud Horatium.

Usurpatur „velut" porro si excitatae rei describitur conditio v. c. exspectant veluti, consul cum mittere signum vult omnes avidi spectant ad carceris oras, sic exspectabat populus Ennius annal. I 101; veluti pueris absinthia taetra medentes cum dare conantur prius oras pocula circum contingunt, sic ego Lucret. IV 11; frena dabat Sipylus . . . veluti cum praescius imbris nube fugit visa pendentiaque undique rector carbasa diducit Ovid. metam. VI 231; et si quae

conditiones non exstantes exprimuntur v. c. cum . . . miror proelia rubrica picta aut carbone velut si re vera pugnent Horat. serm. II 7, 98.

Etiam quod opinantur homines sive respondet rei verae sive repugnat „velut“ vox significat v. c. et velut absentem certatim Actaeona clamant Ovid. metamorph. III 244; nam Quinctil. Varum sanguine oblitum et paludibus emersum cernere et audire visus est velut vocantem Tacit. annal. I 65.

„Tanquam“ vox e „tam“ et „quam“ compositum utque „sicut“ eo ortum est quod demonstrativum relativo frequenter praeponebatur cum hae voces „tam“ „quam“ modi comparationem significarent. Usurpatur vero si una res cum altera confertur v. c. si abstinuissem a mari eo tanquam hoc uterer Plaut. mil. IV 7, 26; nostin eius natum? tanquam te Terent. Phorm. I 2, 14; iterato demonstrativo cum „tam“ vox omnino non sentiretur v. c. apud eum sic fui tanquam domi meae Cic. ad diver. XIII 69; tanquam levia quaedam vina nil valent in aqua sic Stoicorum magis gustata quam potata delectant Cic. Tuscul. V 5. Porro „tanquam“ usurpatur, si qua res cum sua ipsius quasi specie comparatur v. c. tanquam si claudus sim cum fusti est ambulandum Plaut. asinai II 4, 21; omnes tanquam si tu esses ita fuerunt Cic. ad Quint. fratr. III 2;

Posteriores scriptores „tanquam“ et „quasi“ vocibus breviter opinionem aliquam falsam, dictum aliquod fictum tantum esse significant. Dum vulgo ante verba occurrunt, quae factum aliquod hominum modo opinione, non revera factum significant, apud posteriores velut apud Tacitum et Suetonium ante verba usurpantur nil nisi opinionem sententiam alicuius continentia quas falsas esse illa ipsa voce indicat scriptor v. c. id ei Plancius Varus . . . praetura functus . . . apud Flavium Sabinum . . . obiecit tanquam rupta custodia ducem se victis partibus ostendisset Tacit. histor. II 63; Hilarius Caesaris libertus detulerat tanquam audito Vitellii et Othonis principatu propriam ipse potentiam et possessionem

Hispaniarum temptasset id. 65; turbata mente respondit tanquam ipse somno gravis et eo ignarus atque uxor sponte mortem sumpsisset id. annal. IV 22; tenetque vicinitatem opinio tanquam natus ibi sit Sueton. Octav. c. 6; concepta opinione veteri quasi temere adeuntibus horror quidam et metus obiiciatur ibidi rumore ab obtrectatoribus dilato quasi eundem mox et discruciatum necasset id. c. 14.

Una restat quae commemoretur „tanquam“ et „quasi“ et „velut“ vocum significatio. Exprimitur enim his vocibus moderatio quaedam verbi alicuius gravioris aut alias extra fines eius de qua disseritur rei (quod μεταφορικῶς dicunt grammatici) usurpati v. c. simul ac primum nubes succedere soli coepere et radios inter quasi rumpere lucis Lucret. V 287 cornuaque extremae velut evanescere lunae Ovid metam. II 117; natura ad aliquod tanquam adminiculum anititur Cic. de amic. 23. Nova hic res, ipsa non intrans in mentem similem sibi motum in mentem vocat huiusque resuscitati motus forma intrat haud nescia mente non ipsius rei esse formam. Media igitur quasi ratio est inter novarum rerum perceptionem infantum et vulgarem comparationem. Ceterum ille harum vocum usus eo latior patet quo magis verborum vis delitescit quoque latiores fiunt notionum fines quas pristinis vocibus oportet exprimi.

Multo rarius quam quae modo tractavimus verba „ceu“ vox usurpatur[34]) neque aliter atque in propriis enuntiatis comparativis et simplicibus et compositis v. c. Adversi rupto ceu quondam turbine venti confligunt Zephyrusque Notusque et Eois Eurus equis ... Virgil. Aeneas II 416 cunctique fremebant caelicolae ..... ceu flamina prima cum deprensa fremunt silvis et caeca volutant murmura ibid. X 97; fulgit item nubes ignis cum semina multa excussere suo consursu, ceu lapidem si percutiat lapis aut ferrum, Lucret. VI 161 ubi, quod rarissime fit in lingua latina, con-

34) Cf. Hand. Tursellin. III p. 48.

iunctivo modo vera rei alicuius resuscitatae conditio exprimitur eadem de causa, cur ab Homero in comparativis enuntiatis coniunctivum usurpari diximus.

Ut ad incepta redeam, contrario atque post „quam“ in „quasi“ voce ubi „si“ etiam nil valens pronuntiatur, saepissime omittitur „si“ post „velut“, „tanquam“, rarius post „ceu“, etiamsi aliud enuntiatum adiungitur, quod proprie sine „si“ adiungi non potest v. c. fierique perinde videmus corpore tum plagas in nostro tamquam aliquae res verberet Lucret. IV 261; addidit et lacrimas tanquam mandasset et illas Ovid. metamorph. VI 471; saepe velut gemmas eius signumve probarem per causam memini me tetigisse manum Tibull. I 6, 25. Hic vero ingentem pugnam, ceu cetera nusquam bella forent, nulli tota moverentur in urbe, Martem indomitum . . . cernimus Virg. Aen. II 438. Frequens alterius cum altera voculae seu potius alterius cum altero motus coniunctio effecit ut singuli ambo in unum contraherentur, condensarentur ita ut singularum vocum significationes iam non sentirentur. Condensatus vero motus arctius cum maiore et acutioris soni voce coniungebatur, illius modo forma veniebat in mentem ita ut levior vox nil valens pronuntiaretur, donec ut nil valebat etiam nil sonabat. Antecedebat igitur ἔκλειψιν illam, defectionem, eiusdem vocis quasi πλεονασμός, abundantia quaedam.

Ita pro „simul atque“, „simul ac“, „simul ut“ simplex usurpatur „simul“ v. c. simul autem cepit intelligentiam, multo eam pluris aestimavit Cic. de finib. 3, 6; simul haec cecinit thiasus ululat Catull. 63, 27; simul obligasti perfidum votis caput enitescit Horat. carm. II 8, 5; otium divos rogat . . . simul atra nubes condidit lunam ibid. 16, 2. Qui simul intravit rorantia fontibus antra Ovid. III 177. Ita Germanorum demonstrativo ortum relativum in variis formis omnino evanescit, relativum „so“ post „sô wer“, quibuscum ut supra dixi „quicunque“ valebat, relativum „als“, ex „al“ et „so“ modo commemorato compositum, v. c. wir wollen thun als vil (als) an uns ist Luther 4, 494; wir müssen unsere

leute so vil moeglich schonen Goethe IX p. 69; und als lebewohl sie winkte mit der hand, war's ob der letzte iugendtraum mir schwand; Lenau II 95; und als ich starrt' auf's mondbestrahlte bildniss, wird mir's ob sich's in meiner hand belebe, id. II 95; so bald er kam; so lange ich da war. relativum adiectivum v. c. wir müezen morgen an iu gesehn den iamer, unz an dise vrist an manegen hie geschehen ist Iwein 6347; sie lebt wie eine nonne so eingezogen die zeit ich sie kenne Goethe IX p. 319; similia anglica lingua praebet exempla.

Hanc rem, nempe motus singulos plures initio pluribus expressos verbis frequenti coniunctione in unum quasi abire, condensari eumque unum motum condensatum uno potissimum verbo eoque non tam graviori sententia quam acutiori sono insigni exprimi, manifestius docet, quod variis variarum linguarum negationis particulis occurrit.

Francogallorum „pas", „jamais", „rien" negationis funguntur munere quod iis omnino non proprium, genuinum est; unum enim a passu, alterum a „jam magis" vocibus, tertium a rei verbo ortum est neque aliter atque cum negativa particula „ne" coniuncta initio quidem negationis habent vim. Paullatim „ne passum" „ne iam magis", „ne rem" quae initio singula sentiebantur, unum exprimunt negationis motum, iam non singula, quod ad vim attinet, sensa. Motus vero ille unus „pas", „rien", „jamais" quippe acutioris soni vocibus magis adiungitur, quam „ne" minimae voculae quae neque sensa neque sonans evanescit.

„Weder" nostro quod cum „noch" vocula coniungitur negationis tribuitur potestas sed minime ei quasi innata inest. Eiusdem enim est originis atque πότερον, „utrum", nempe a pronomine interrogativo suffixi quod dicitur comparativi — nempe „tar" — opera derivatum. Interrogativi fungens munere et comparativam habens vim ut „πότερον", „utrum" a res duplices interrogante usurpabatur v. c. weder wider mich sin muot, waere übel ode guot, utrum esset malus an bonus, tum indefinitam habens potestatem cum „en" coniunctum

neutrius sortitur provinciam v. c. enweder guot noch boese. neutrum: bonum neque malum, contrarium vocibus: beidiu, guot unde boese. Postea „enweder“ idem accidit atque „ne pas“, „ne rien“, acutior vocis pars cum totius vocis notione coniungitur, gravior minus, denique omnino non sonat.

Memorabilior „kein“ vocis videtur origo. Huius verbi e „nih“ (ni–uh:[35]) ne–que) et „ein“ compositi littera „h“ „ein“ sequenti magis adiungebatur quam „ni“ cuius propria erat pars; non igitur „nih–ein“, „neh–ein“, sed ne–hein, ne–chein pronuntiabatur et „chein“ solum idem atque „ein“ valebat. Ignota enim erat „h“ litterae origo, simplicis autem negationis munere „ni“, „ne“ fungebatur, non „nih“, „neh“. Paullatim vero in „ne–hein“, „ne–chein“ „chein“ syllabae acutior fiebat sonus quam „ne“. Notkerus perpetuo ne-chein scribebat, cum acutius vero sonante vocis parte totius vocis vis coniungebatur, itaque seculo tertio decimo „uh“ vocis reliquiae et „ein“ neminis habuerunt potestatem.

Eodem omnino modo vulgaris Graecae linguae „δεν“ vocula quae „nihil“ valet ex „οὐ-δ(ε)-εν ortum est.

Quis nostratium verbis „es sei denn“, „es waere denn„ negationis abrogat potestatem? Cui vero horum verborum illa potestas inest? Sed sermonis historiam quaerentibus hae se praebent locutiones: Ezn hulfen niemannes list unz im sîn vrouwe ungnaedec ist, daz er vüere durch in weder her ode hin, ern taete im danne sicherheit, Hartman Iwein 7881; diu drî enhabent geleites niht diu zwei enwerden ê gesunt, Walther 8, 25; in inferioris Germaniae dialecto: unde scolen us nimmer sonen et en si mit eren willen (acta Swerinensia 1292), quae docent initio coniunctivo modo negationem fuisse adiunctam, tum nil negativi significans „danne“ additum esse quod cum coniunctivo coniunctum negationis excitat nobis motum negatione ipsa omissa.

Huc variae septentrionalium linguarum germanicarum

---

[35]) Cf. Pott. etym. quaest. ed. II tom. II p. 410.

pertinent negationes quae ipsae nil significantes negativi, initio cum negativis modo vocibus coniunctae, postea etiam solae negativo fungebantur munere, nempe voces „eingi“, „mangi“, „hvargi“ alia; huc nostrum „nur“ e „ne wâre“ contractum quae ut „nisi“ non nisi cum negatione coniuncta „tantum“, „modo“ valere poterant v. c. nehein man ni mac in givâhen newâre mit disme liste; wir ne haben anderen chûning newâr den cheiser.

Qua explicatione refutari puto argumenta quae J. Grimm „wiht“ „iht“ voces „boeser geist“, „wicht“ valere contendens, e negativa harum vocum vi affert[36]).

Eo quod motus singulis verbis expressi condensantur iamque singula non sentiuntur verba, porro locutiones explicantur velut: βοῶν ἐπιβουκόλος ἀνήρ; βοῦς ταυροκτονεῖν, οἶνον οἰνοχοεῖν, quocum nostrum nimmer-mer (nie-mer-mer) comparari potest, νέκταρ οἰνοχοεῖν, ναῦς ναυπηγεῖσθαι, ναυάγια ἱππικά, οἰκονομεῖν θαλάμους alia, neque minus quae ellipses vocantur velut: ἡ δ' ἑτέρωθεν (κρήνη) ὑπ' αὐλῆς οὐδὸν ἵησιν η 130; ὃς (ποταμός) πολὺ κάλλιστος ποταμῶν ἐπὶ γαῖαν ἵησιν λ 239 ubi quae non dicuntur haudquaquam per se et sola cogitantur, quae Hermanni videtur opinio explicantis: est ellipsis omissio vocabuli quod etsi non dictum tamen cogitatur.[37])

Ut pronominis relativi ablativus „ὥς“ ita in Graeca lingua etiam accusativus neutrius generis qui variis adverbii muneribus fungitur, haud tamen solus sed semper cum „τε“ vel „περ“ coniunctus, raro apud Homerum, saepius apud posteriores scriptores ut comparationis usurpatur particula. v. c. οὐ μέν πως νῦν ἔστιν . . . τῷ ὀαριζέμεναι ἅτε παρθένος ἠίθεός τε παρθένος ἠίθεός τ' ὀαρίζετον ἀλλήλοιιν X 127; τοῦτο διαμπέρες ὦς ἵκετο ἅπερ τε βέλος Aeschyl. choeph. 380; παταγοῦσιν ἅτε πτηνῶν ἀγέλαι Soph. Aiax 168 et adiuncto

36) Grammat. theod. III p. 736.

37) Opusc. et Viger. p. 869.

εἰ non agnito: ἅπερεί τις ἔποικος ἀναξία id. Electr. 189.

Eodem quo ὥστε, utpote, modo etiam ἅτε in enuntiatis manifestam actionis causam cum agentis conditione cohaerentem describentibus usurpatur v. c. οἱ Ἀθηναῖοι ἐσπεσόντες ἐς τὴν Μένδην πόλιν ἅτε οὐκ ἀπὸ ξυμβάσεως ἀνοιχθεῖσαν . . . διήρπασαν Thucyd. IV 130; εἰς τὴν πολίτειαν οὐ παραδεξόμεθα ἅτε τυραννίδος ὑμνητάς Plat. Protag. 321.

Praeter relativum simplex vel particulis (τε et περ) modo auctum etiam derivatum et significantius, ut ita dicam, adiectivum relativum in comparativis enuntiatis occurrit: Graecum οἷος, Latinum „qualis“, quorum initio adiectivae formae ad personas seu res referuntur quibuscum aliquid comparatur, postea forma adverbialis (quae est in graeca lingua casus alicuius iam non agniti forma) ad totam actionem v. c. Οἷον δ' ἀστέρα ἧκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω ἢ ναύτῃσι τέρας ἠὲ στρατῷ εὐρέϊ λαῶν λαμπρόν etc. Δ 75; οἷος δὲ βροτολοιγὸς Ἄρης πόλεμόνδε μέτεισιν . . . τοῖοι Μηριόνης Ν 298; οἷος δ' ἀστὴρ εἶσι μετ' ἀστράσι νυκτὸς ἀμολγῷ Ἕσπερος . . . . ὣς αἰχμῆς ἀπέλαμπ' εὐήκεος Χ 317; οἷος (κύων) ἀνὰ Δώτιον ἀνθεμόεν πεδίον πέταται θανατὸν κεροέσσᾳ εὑρέμεν ματεύων ἐλάφῳ Simonid. frg. 30 ed. Bergk; Hic qualis flatu placidum mare matutino horrificans Zephyrus incitat undas . . . sic ibi Catull. 64, 269; qualem ministrum fulminis alitem . . . olim iuventas et patrius vigor . . . propulit qualemve leonem vidit (caprea) . . videre Horat. carm. IV 4, 1 — 17; vidi ego te in somnis . . . . Ionio lassas ducere rore manus . . . . qualem purpureis agitatam fluctibus Hellen Propert. III 26, 5; ποθουμένᾳ γὰρ φρενὶ πυνθάνομαι τὰν ἀμφινεικῆ Δηϊάνειραν οἷα τιν' ἄθλιον ὄρνιν Soph. Trach. 105; suspensaeque diu lacrimae fluxere per ora qualiter abiecta de nive manat aqua Ovid. amor. II 7, 52.

Posteriores scriptores οἷον ὡς saepe coniunctis utuntur, cuius locutionis similia variae nobis praebent linguae.

Germano statim in mentem revocatur: „als wie“ v. c. es es kommt als wie im traum Göthe I; hatte sich ein ränzlein

ungereimt als wie der doctor luther id. XI p. 85; den liebt er gar nicht wenig als wie seinen eignen sohn ibid. p. 91; dort sitzt er auf dem pferde als wie ein steinern bild Mosen.

Eodem modo Latinus „atque ut" utitur solo primo sufficiente v. c. pariter hoc fecit atque ut alia facta sunt Plaut. Amphitr. IV 1, 11; quod iste aliter atque ut edixerat decrevisset Cic. in Verr. I 46, 119; et qui suos casus aliter ferunt atque ut auctores aliis ipsi fuerant, non sunt vehementes id. Tuscul. III 3, 73. Talis quaedam iteratio in Graeca et Latina lingua frequens est in enuntiatis omnia praeter unum negantibus vel affirmantibus v. c. οὐδὲν ἄλλο σκοπεῖν προσήκει ἀνθρώπῳ καὶ περὶ αὑτοῦ καὶ περὶ τῶν ἄλλων ἀλλ' ἢ τὸ ἄριστον καὶ τὸ βέλτιστον Plat. Phaedr. p. 97; οὐ κατηγόρησεν ἀλλ' ἢ παντοπωλίου καὶ παντοπωλίου ἀργυρίου Demosth. adv. Phorm. p. 953; τίνα ἄλλον λόγον ἔχοντες βοηθοῦσιν ἐμοὶ ἀλλ' ἢ τὸν ὀρθόν τε καὶ δίκαιον Plat. apolog. p. 34; τίνος μὲν νῦν ἕνεκ' ἄν τις, ὡς εἰπεῖν, ζῴη ἀλλ' ἢ τῶν τοιούτων ἡδονῶν; Plat. Phaedr. p. 258; ἄδηλον παντὶ πλὴν ἢ τῷ θεῷ Plat. apolog. p. 42; nullum praemium postulo praeterquam huius diei memoriam sempiternam Cic. in Catil. III 8; cuncta potest vetustas praeterquam curas attenuare meas Ovid. trist. IV 6, 18. Hic autem altera coniunctio nempe „ἀλλά", „πλήν", „praeter" negationi, altera „ἢ" „quam" comparativae voci seu enuntiatae seu non enuntiatae non in mente versanti attamen sensui respondet.

Unde vero illae iterationes proficiscuntur? Nulla hic causa est animi motus potestas maior, quam ut uno tantum verbo possit exprimi, tam magna ut variis formis veniat in mentem sit necesse, neque inertia potest afferri quae progredi nequeat, quae idem iteret alia re tardius in mentem veniente. Coniiciendum potius est frequentissima particulae cum adiectivo coniunctione factum, nempe particulae, ipsius propriam vim iam non esse agnitam, nil iam interni ei esse expressum, nil revera valentem adiectivo esse adiunctam (non aliter atque „ὥσπερ", „ὡς", „ut", „quam" voces sunt usitata) ideoque

alteram particulam idem significantem fuisse necessariam.

Qui vero οἷον ὡς explicetur? Qui „adeo tam" v. c. quis adeo tam linguae latinae ignarus est Gell. noct. attic. VII. 17, 3; quomodo: „simul una" v. c. i mecum una simul Plaut. mostell. IV 3, 43; qui „deinde postea" v. c. capit hoc consilium ut pecuniam polliceatur, deinde eam postea supprimat Cic. pro Cluent. 26, 71; qui „olim quondam" v. gr. olim isti fuit generi quondam quaestus apud sectum Terent Eunuch. II 2?

Tales locutiones explicantibus reputandum videtur animi motus et vocis paullatim tam arctam fieri coniunctionem ut ille sine hac etiam in animo, non modo in mente, omnino non exsistat, frequenti autem usu vocem vim suam amittere neque totam motus potentiam venire in mentem, tum quod restet motus, verbo vi privato non plane expressi, altero exprimi verbo.

Accidit simile non totis verbis sed verborum modo partibus, si variorum casuum significationibus quarum iam non agnoscuntur suffixa praepositiones adduntur, in latina lingua, si initio gravibus sufficientibusque „im" et „um"[38]) senescentibus additur „de" vocula, si porro et his, cum deficiunt vires, novum additur „de", „inde" voci a matre latina ut „deinde", „unde" voci a Romanensibus filiis ut Italicorum donde, Francogallorum „dont", Hispanorum iterato „de" „dedonde" nascatur, quibuscum „en" (e latino „inde" ortum) omnia re-

[38]) Sive enim ut Hartungius (de casibus p. 229) et Ritschelius Muse. philol. VIII p. 472 censes fuisse pronominis in „m" exeuntes formas quae etiam ablativi fungerentur munere sive ut M. Schmidtius (de pronom gr. et lat. p. 79) in „im" exeuntes formas reliquias esse locativi „in" suffixo formati, quae cum locativus interiisset eiusque in usum ablativus successisset ablativi accepissent notionem, sive ut Aufrechtius (Kuhn. syllog. I p. 83) et Corssenius (ibid. V 119—133 et de pronuntiat. vocal. ling. lat. I p. 67) qui de „i" modo vocalis origine dissentiunt, „im" ex i- bhjam, „ifim" esse ortum, „im" solum aliquando idem valuisse atque postea „inde" non negaveris. Sin vero, quae Pottii videtur sententia, compositi modo „inde" ablativa est notio, id quod supra explicavi „deinde" „donde" „dont" docent.

pudians fulcra est comparandum. Fit illud in graeca lingua cum omnino non agnito ατο suffixo quod superlativo fungebatur munere novum additur ιστο ut πρῶτος (e πρό-ατος contractum cuius simile ὕπατος) fiat πρώτιστος, in latina si non satis facit antiqua postremi vox et postremissimi oritur verbum, (omnium nationum postremissimum nequissimumque existimatote; C. Gracch. ap. Gellium noct. Attic. XV 12, 3.) in gothica lingua si defuncta fruma, auhuma, hleiduma, aftuma quasi rediviva fiunt: frumist, auhumist, hleidumist, aftumist. Inde comparativi suffixi oriuntur iterationes in meriro, eriro, aliis, inde ad comparativos modos addita „μᾶλλον" v. c. θανὼν δ' ἂν εἴη εὐτυχέστερος Eurip. Hecub. 377; „magis" v. c. hic enim magis est dulcius Plaut. Stich. 799 (V 4, 22) „baz" v. c. daz si der fürsten brâten sniden groezer baz dan ê Walther 17, 15.

Unam et graeca et latina lingua praebent comparationis particulam quae neque cum demonstrativo neque cum pronomine interrogativo potest coniungi „καί" nempe et „atque" „ac", „et" (de „und" nostri simili usu cf. Tobler[39]). Sed angusti imprimis „καί" vocis usus sunt fines. Nam post pari, tatem modo et similitudinem significantia adiectiva occurrit scilicet post ἶσος, ὅμοιος, ὁ αὐτός idemque ut „ὥσπερ" post Homerum demum. Apud Homerum enim adiectiva ista dativus sequitur etiam ubi durior fit oratio eodemque modo se habent „καί" aliaeque particulae post „ἶσος", „ὅμοιος" voces atque ἤ post comparativum v. c. ἶσον γάρ σφιν πᾶσιν ἀπήχθετο Κηρὶ μελαίνῃ Γ 454; ἶσα δέ μιν κεδνῇ ἀλόχῳ τίεν α 423. Post Homerum in utramque seu potius in triplicem incidimus coniungendi rationem v. c. οὗτοι ἀνεφάνησαν ἐξ ἴσου τοῖς νῦν ὄντες Plat. Georg. p. 547; ἴσα φίλῳ λυπούμενον Eurip. Orest 880; οὐκ ἴσον καμὼν ἐμοί λύπης ὅτ' ἔσπειρ' ὥσπερ ἡ τίκτουσ' ἐγώ Soph. Electr. 532 ubi duplex occurrit ratio. Ὅμοιος ἀτμὸς ὥσπερ ἐκ τάφου πρέπει Aeschyl. Agam. 1311; ἶσον γάρ σ' ὡς

39) Kuhn. syllo g. tom. VII.

τεκοῦσ' ἀσπάζομαι Eurip. Ion. 1362; φίλον γὰρ ἐσθλὸν ἐκβαλεῖν ἴσον λέγω καὶ τὸν παρ' αὑτῷ βίοτον Soph. Oed. ty. 612.

Ampliores latinarum „καί" respondentium particularum sunt fines. Quae adiectiva non modo par, simile sed etiam aliquid diversi significantia sequuntur nempe non modo „idem", similis", „aequum" „par" sed etiam alius, diversi voces et, quod inde oritur, etiam qui dicuntur comparativos adiectivi modos. In hac quoque lingua similitudinem significantia adiectiva initio non nisi cum dativo, diversitatem exprimentia cum ablativo casu fuisse coniuncta persuasum mihi habeo. Obiter modo commemoro „aeque" vocem cum ablativo coniunctam quae apud Plautum in negantibus enuntiatis interdum occurrit, ubi vero totum enuntiatum non paritatem sed diversitatem exprimit v. c. nullust hoc meticulosus aeque Plaut. Amphitr. I 1, 137; in terra qui me erit aeque fortunatus? id. Curcul. I 2, 51; quibus similia sunt: homo me miserior nullust aeque id. merc. II 3, 1; nec est mihi quisquam melius aeque cui velim capt. III 5, 42. Addo his, ut res modo afferam disputationem differens, negantium vocum usum eum qui in linguis Romanensibus in enuntiatis comparativis occurrit v. c. il est plus riche qu' on ne pense; ho trovato piu ch'io non credeva[40]); enuntiata ut Ciceronis epist. ad Attic. II, 13: diutius abfuturus ac nollem; nostratium: Und leichter waere sie dir zu entbehren als sie es jenem gutem manne nicht ist, Goethe XIII 173; wir schweben in diesem augenblick in einer groesseren gefahr als ihr alle nicht seht id. IX p. 275; dasu koenig Philipp jede aufgefangene sylbe dem hinterbringer fuerstlicher bezahlte als er noch keine gute that bezahlt Schiller III p. 142. Postea autem quod simile est seu diversum „ac" „atque", „et" vocibus adiungitur v. c. quidnam tremulis facere artubus haedi consimile in cursu possunt et equi vis Lucret. III 8; si possent homines proinde ac sentire videntur Lucret. III 105; nec ratione flu-

40) Cf. Diez. gramm. ling. rom. compar. III p. 363.

unt alia stragemque propagant .et cum mollis aquae fertur natura repente id. I 281; post comparativos qui dicuntur modos occurrunt v. gr. nec minus ille diu iam non erit ex hodierno lumine qui finem vitae fecit et ille mensibus atque annis qui multos occidit ante Lucret. III 1091; illi non minus ac tibi pectore uritur intimo flamma Catulli 61, 167; arctius atque hedera procera astringitur ilex Horat. epod. 15, 5; ita ut pater ille non se peius cruciaverit atque hic id. serm. I 2, 22 Quem „καί“, „et“ „atque“ „ac“ usum vulgo explicant respicientes enuntiata velut: ἔστι δὲ παραπλησίη ἡ κάθαρσις τοῖσι Λυδοῖσι καὶ τοῖσιν Ἕλλησι Herod. I 35; Itaque semper Africanus Socraticum Xenophontem in manibus habebat cuius imprimis laudabat illud quod diceret eosdem labores non aeque graves esse imperatori et militi Cic. Tusc. II 26, 62, nisi aeque amicos et nosmet ipsos diligamus id. de finib. I 20, 67; neque enim tabulae condemnantur eius qui retulit et eius qui falsum perscripsit id. pro Rosc. comoed. I 2 ubi „καί“ „et“ vulgarem habent suam vim unaque comparativae particulae fungi possunt munere. Frequenter autem in talibus enuntiatis usurpatae plane illarum comparativarum particularum adeptae sunt vim ita ut etiam voces diversi aliquid significantes sequerentur.

Ceterum etiam vulgares comparationis particulae „ut“ „quam“ post adiectiva illa erant in usu; in elegantiori quidem sermone initio illud post simile aliquid significantia, hoc post significantia diversum v. c. qui modum igitur vitio quaerit similiter facit ut si posse putet eum Cic. Tuscul. IV 18, 41; similiter facere eos ut si nautae certarent id. de offic. I 25, 87; omne animal, simul ut ortum est, se ipsum diligit id. de finib. II 11, 13 („quarum simulul ut“ particularum coniunctionem Lucretius ignoravit pariter atque Catullus et Horatius qua sola usum esse Virgilium Iacobs animadvertit . . . abstinuit eis Ovidius[41]); itaque libentissime praedicabo Cn.

41) Haupt. observat. critic. p. 35.

Pompeium studio et auctoritate aeque ut (ἅπ. εἰρ. apud Ciceronem) unum quemque vestrum laborasse Cic. pro domo 11, 30; ne aliter, quam ego velim, meum laudet ingenium id. in Verr. II 1; quae pater haud aliter quam cautes murmnra ponti accipit Ovid. Metamorph. XI 330.

Postea etiam post simile aliquid significantia adiectiva „quam“ usurpatur v. c. Quod enim interest si aeque affectus inconsnlta res est sine ratione quam ratio sine affectu inefficax Seneca de ira I 10. Qui „quam“ vocis usus ortus esse potest eo quod in negativis enuntiatis post „aeque“ „perinde“ [42]) adhibebatur ubi voces illae negatae diversum significant v. c. neque eques neque pedes profectost quisquam nudacia, qui aeque faciat confidentes quicquam quam quae mulieres Plaut. mil. II 5, 55; nihil aeque eos terruit quam praeter spem robur et color imperatoris Liv. XXVIII 26, 14; nihil aeque laboravit quam ut imitarentur chirographum suum Sueton. Octav. 64; sed nihil aeque quam fames affligebat serendis frugibus incuriosos. Tacit. annal. XIV 38. Caesar et Cicero nulla illius coniunctionis praebent exempla.

[42]) Non aliter aque post negatum „aeque“ ablativus occurrit cf. p. 33.

VITA.

Michael Holzman, Iudaeus, natus sum Ostrowi in oppido Posnaniensi a. d. XIII Cal. Februar. a. h. s. XLI patre Sina matre Rebecca e gente Levi, quae ante hos XVII annos mortua est. Primis litterarum elementis imbutus patriae urbis adii gymnasium. Cuius cum primae classis factus essem discipulus m. Octobr. a. LIV Vratislaviam me contuli ubi inter alumnos seminarii iudaico-theologici receptus et theologicis et, initio solo Bernaysio qui t. t. in seminario illo praeceptoris fungebatur munere, postea cum extra ordinem ut dicunt universitatem Viadrinam adirem etiam Haasio, Westphalio, Stenzlero, Rossbachio usus magistris, philologicis studiis dedi operam. Quibus totum me traditurus anno LXII theologicam scholam reliqui et maturitatis testimonio a gymnasio quo delegatus eram Elisabethano instructus civibus universitatis Viadrinae sum ascriptus. Post semestre spatium almam litterarum universitatem Fridericam Guilelmam Berolinensem petivi et a Beselero t. t. rectore inter cives academicos receptus per sex semestria imprimis disserentes audivi: Bökh, Haupt, Mommsen, Müllenhoff, Steinthal, Trendelenburg, Weber.

Quibus viris omnibus cum quas debeo agam gratias, non possum quin cum grati animi significatione peculiari Steinthalium commemorem qui linguae naturam mihi patefecit quoque praeceptore ut dignum me praestem discipulum nunquam non navabo operam.

THESES.

I. Philologiae definitio sola Bökhii est vera.

II. Quo hucusque peregrinarum linguarum grammatica est tradita, modus puerorum mentes hebetes potius quam acutas reddere potest.

III. Pottiana comparativi suffixi „tara“ explicatio non solum ipsius suffixi formae sed etiam linguarum Indogermanicarum naturae magis respondet quam Boppiana.

IV. Gerundium non tractat recte nisi qui vulgaris interpretationis ratione habita nulla adiectivum esse putat quod neutrius generis etiam substantivi habeat notionem.

V. Quas Iudaei de Elia propheta narrant fabulae simillimae sunt a Germanis de Wuotan traditis.

VI. Samuel. I cap. 2 v. 9 et 10. Anna, Samuelis mater, dixisse non potest.

VII. Michae prophetae c. III initium omnino est perturbatum.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS LANGE.

